



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 17. Pax Rupellæ promulgata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Regis nomine sese obstringebat, quod Sæcul. XVI.
A. C. 1570.
residua decies septies centena librarum
millia in Cenomanensi urbe numerare,
ac tradere velit, ea lege, ut quadrin-
genta viginti quinque librarum millia
quotannis usque ad postremum solutio-
nis spatium penderentur: proin Fran-
ciæ Reges, inquit quidam Scriptor, ut
pacem ab hisce piis, ac fidelibus, si
superis placet, subditis redimere pos-
sent, sumptus durante bello factos, &
insuper aliena debita ab his apud exte-
ros contracta solvere compellebantur:
eapropter Calvinistæ, etsi suis victoriis
in hoc postremo bello totum, qua late
patet, regnum eimensi fuissent, nun-
quam tamen pacem suæ factioni magis
proficiam, ac conditionibus magis am-
plis uberem sperare potuissent, hinc sa-
nioris iudicii homines probe prospexe-
rant, quod pax ipsis tantopere utilis
haud diu subsistere valeat.

§. XVII.

Pax Rupellæ promulgata.

Hoc edictum in omnibus regni Curias
promulgatum ipsemet Rex se exe-
cutioni mandaturum jurejurando testa-
batur, ipsamque Reginam, Andega-
vensem Ducem, suosque Senatus, ac
Curia Magistratus ad idem sacramen-
tum integra fide præstandum adegit:
præ-

Sæcul. XVI. præterea cunctis Gubernatoribus, Præ-
 A.C. 1570. fidibus, ceterisque præceptum, ut pu-
 blice, atque interposita juramenti re-
 ligione se ad illud servandum obstrin-
 gerent, constituta mortis pœna in trans-
 gressores. Demum Principes unacum
 maris Præfecto, Ludovico Nassovio, Te-
 linio, & Bellovacensi Nuclea ad Lir-
 gones usque profecti Volrado Mansfeldio
 grates rependerunt, ac Germanorum
 copias dimiserunt, quas Renelius Mar-
 chio usque ad regni fines comitabatur,
 hi vero Proceres Charitæum delati, in-
 de per Lemovicensem, & Engolismen-
 sem agrum iter prosequentes Rupellis
 ineunte Mense Octobri Navarræ Regi-
 nam convenerunt, in qua etiam urbe
 præfatum edictum die vigesima Augu-
 sti in arcis foro promulgatum est ante
 ædes ipsius Navarræ Reginæ, quæ unacum
 Filia sua, ac honorariis puellis,
 necnon Rupifocaldio Duce, ac Rupio
 supremo Regii Stabuli Præfecto, plu-
 ribusque aliis Proceribus, ac Nobilibus
 per fenestras prospiciebat: ubi duo re-
 gii tibicines tertia jam vice tubas infla-
 bant, ac postea Delphinatus Provincie
 Fecialis, & demum Burgundiæ, & An-
 degaviæ Caduceatores edictum præle-
 gentes pacem promulgarunt, quo peracto
 Navarræ Regina Nortto Rupellensis Ec-
 clesiæ Ministro injunxit, ut publica
 præ-

*Mem. del' E-
 toile tom. I.
 p. 14.*

preces funderentur, quibus absolutis festiva omnium belli tormentorum explosio insonabat. Ceterum Rex Cossæum Marescallum Rupellas ablegabat, ut necessaria quævis ad hujus edicti executionem disponeret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

§. XVIII.

Regis consilium de sua Sorore Margaritha Navarræ Principi desponsanda.

Cum interea hæc gererentur, Rex pariter de connubio inter Magaritam Sororem suam, & Navarræ Principem ineundo consilia agitabat, hancque in rem Cossæum Marescallum, & Gontaldum Bironem Rupellas decernebat, ut hi Navarræ Reginae hæc nuptias proponerent, simulque de legis gratia a Pontifice impetranda fidem facerent, ut hac ratione obstacula ex sanguinis propinquitate, ac religionis diversitate inter Sponsos exorta tollerentur. Verum Navarræ Regina hanc propositionem eludere intenta ambobus hisce Proceribus in responsis dabat, ipsius Filium magno quidem honore a Galliarum Rege affici, cum autem ille præ omnibus mundi honoribus suam religionem cordi habeat, hinc prius se cum conscientiae suæ Moderatoribus id negotium collaturam spondebat.

Dupleix hist.
de France
tom. 3. p.
580. & seq.

§. XIX.